



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

283. feria 4. de Magnanimitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

500 FERIA 3. DOMIN. 16. POST PENTECOST.

Aspiciam Dominum IESVM sine omni
sensibili solatio in passione ineffabiliter
maceratum. Petam eum imitari, qui Joan-
nem austerè viventem ita dilaudaverat.

Conf. 1. Maceratio est virtus, quâ corpus
nostrum spontè castigamus, ut Castitatem
custodiamus, & Christo pro nobis crucifixo
conformemur.

Conf. 2. Incitamenta. 1. Pro peccatis præ-
teritis satisfacit, & cœlestia dona extorquet.
2. Aditum ad divinas consolationes parat.
3. Hâc neglectâ facile ad illicita inclinatur
caro.

Conf. 3. Actiones ejus. 1. Carni superflua
derogare, solis necessarijs suppeditatis. 2.
Exterioribus asperitatibus carnem affligere.
3. Aegritudines & corporis molestias æqua-
nimitè ferre. 4. Carnem in servili conditio-
ne semper continere, & nil propter solam
oblectationem accipere. Christo à tribus
sanguis exprimitur. Ab amicis in circumei-
sione, à se ipso in horto, ab inimicis in Pas-
sione. Incepit macerari à sanguinis effusione
in circūcisione, finit in ejus defectu in Cruce.

MEDITATIO CCLXXXIII.

FERIA 4. DOMIN. 16. POST PENTECOST.

De Magnanimitate.

Aspiciam D. IESVM Magnanimitatis
Exem.

Teria 4. Domin. 15. post Pentecost. 501

Exemplar, intendendo celestia bona non parcendo, nec animæ suæ, ubi oportebat. Petam ejus fieri particeps.

Conf. 1. Magnanimitas est virtus, quâ magna opera, & eximio honore digna propter virtutis finem aggredimur, ipsum verò honorem nec ambimus negatum, & oblatum contemnimus.

Conf. 2. Incitamenta. 1. Filij, & servi magni Dei sumus, imitari eum magnum & laudabilem nimis debemus. 2. Magnis operibus magna promissa sunt proemia, qui quinque talenta superlucratus est, erit super decem civitates. 3. Magna operantes etiam in hac vita Deus miris modis auget, mentis puritate, solatijs, fiducia in arduis, securitate in morte.

Conf. 3. Actiones ejus. 1. In omni mortificationis ac virtutis genere mediocribus contentum non esse, sed ad summa cum gratia Dei anhelare. 2. Homines suprema dignitate fulgentes, si per magnificas promissiones, aut terribiles minas ad virtuti contraria compellant, contemnere. 3. Impedimentis & obstaculis virtutum non frangi, sed ea fortiter superare. 4. Post magnam cum Deo familiaritatem adeptam, ad majorem aspirare, & majora obsequia moliri. 5. Difficultatibus, quæ in magnis operibus
erit

502 *Feria 4. Domin. 16. post Pentecost.*

oriri solent, non angere, sed gaudere. 6. Pro his solum Dei obsequium & gloriam expectare, & æterna bona in patria decernenda concupiscere. 7. Dignitates non oblatas non appetere, oblatas respicere, impositas solum pro Dei gloria, & obedientiæ merito suscipere, & alijs eas libenter dimittere. 8. Munera meritis nostris minora non aspernari, sed cum magna modestia administrare, & quasi nostra honorare. 9. Non solum pusillanimitatem, quæ viribus congrua non audet, sed & præsumptionem, ambitionem, & vanam gloriam fugere. 10. Notanda indicia viri magnanimi. 1. Ethic. c. 3. Vir magnanimus, spectato officio, in quo Deum representat, dignum se magno honore iudicat. 2. Modicè magnis honoribus, etiam à magnis oblati, afficitur, parvos contemnit. 3. In prosperis, & adversis moderatum se exhibet. 4. Parva pericula parvis relinquit, magnis se pro Deo exponit. 5. Acceptum ab homine beneficium majori compensat. 6. Neminem mortalium, nisi ob res magnas rogat. 7. Libenter alijs est adiumento. 8. Cum principibus & opulentis, si ita Dei gloria exigat, præstat se magnum, cum mediocribus & infimis moderatum. 9. Non ingerit se locis honoratioribus. 10. Cunctatur in aggressu, & non multa, sed magna facit. 11. Apertè vitia odit,

odis,

Feria 5. Domin. 16. post Pentecost. 503

odit, & amat virtutem. 12. Palam dicit & agit dicenda & agenda. 13. Vulgi hominibus sententiam suam, & rationem gubernandi non prodit. 14. Alterius nutu, nisi praesidis, non potest vivere. 15. Non facile admiratur: quia nihil ei magnum est. 16. Injuriarum non meminit. 17. Aliorum nimius nec laudator, nec vituperator est. 18. In molestijs non est querulus. 19. Mavult res honestas, quam utiles, possidere. 20. Habet vocem gravem, motum tardum, orationem sedatam, non festinat, quia paucis studet, non contendit vehementer, quia nihil magnum aestimat.

MEDITATIO CCLXXXIV.

Feria 5. Domin. 16. post Pentecost.

De Mansuetudine.

Aspiciam D. IESVM Mansuetudinis exemplar, velut columbam sine felle. Peram eius fieri particeps.

Conf. 1. Mansuetudo est virtus iram moderans, per quam mens injuria affecta non exacerbatur, nec amaritudo cordis exterius indicatur, sed est homo quasi non audiens, nec habens in ore suo redargutionem.

Conf. 2. Incitamenta. 1. Exemplum Dei, qui innumeris hominum peccatis provocatus non irritatur, & solitis beneficijs nos cumulare non cessat. 2. Doctrina Christi, qua
coele.